

perest nisi Emin. Vestra, pro ea qua præstat erga S. apostol. Sedem filiali reverentia et obsequio, commissam sibi Bisuntinam diocesim arctiori cum illa communionis vinculo consociare studeat, quod certe efficiet si præfatam diocesim ad unitatem Romanæ liturgiæ quamprimum adducat. Hoc est Sanctitatis Sæ ardentissimum votum... »

Die 29 sept. 1856, iterum scripsit idem cardinalis Bisuntinus ad eundem cardinalem S. R. C. præfectum his verbis : « Eminentiss. et Reverendiss. Domine. Ea qua par erat reverentia et submissione litteras ab E. V. ad me die 28 præteriti aug. datas hodie tantum excepi, et in omni sinceritate cordis profiteri possum nihil mihi sanctius quam ut ea, quæ a S. Congr. decisa et a Sanctitate Sua sancita fuerunt, rata habeam et perficere satagam, quem ut finem assequar, exoptulo ut mihi liceat 1º Proprium sanctorum Bisuntinæ diocesis Sacræ Congr. proponere; 2º cantum illum romanum assumere quem illustriss. archiepiscopus Antonius Petrus de Grammont I multa cura et arte correxerat. » Die 27 nov. ejusd. anni card. Patrizi affirmativum quoad primam partem dedit responsum, quoad autem secundam sic prosecutus est : « Quod vero attinet cantum quem cl. mem. Antonius de Grammont olim archiepiscopus Bisuntinus correxit, quemque E. V. assumere desiderat, id reponam, quod nonnullis aliis Galliarum episcopis significatum jam fuit, Sanctiss. D. N. Pio PP. IX maxime cordi esse ut cum Romana liturgia Gregorianus cantus adoptetur. »

Documenta quæ supra leges in extenso apud Ludov. Marchesi, citato opere : *La liturgia gallicana ne' primi otto secoli, etc.*, tom. II, p. 420 et seqq.

## ADNOTATIO XLIV.

*Lib. III. Decretal. Tit. XLI, n. 30, pag. 182.*

## DE EXCELLENTIA LITURGIE ROMANÆ.

Adeant lectores « Instructionem pastorem cum mandato RR. DD. Pallu du Parc, episcopi Blesensis, » die 22 octobris 1852 datam pro restitutione liturgiæ romanæ in prædicta diocesi; nec non RR. DD. Petri-Ludovici Parisi, episcopi primum Lingonensis deinde Atrabatensis, opusculum cui titulus : *La Question liturgique*; et in primis librum valde commendabilem « *Institutions liturgiques* » a Reverendiss. D. Guéranger, abbate Solesmensi ordinis Sancti Benedicti, scriptum et evulgatum tribus volum. in-8º, Cenomani et Parisiis, 1840, 1841 et 1851. Cum enim anno 1837, prædictus D. Guéranger a Sancta Sede petiisset oportunas et necessarias facultates pro restauranda in Galliis religione benedictina, san. mem. Gregorius XVI precibus ejus annuens, in litteris apostolicis ad hanc rem benigne concessis, munus quasi præcipuum novis monachis impertire dignatus est his verbis sciificet : « Sanas pontificii juris et sacræ liturgiæ traditiones

labescentes confovere. » Quantocius operi manum admovit prælaudatus D. Guéranger, et illius libri auctoritas tanta fuit ut, non obstantibus querelis et controversiis hinc et illinc suscitatis, et revera versus optatum finem, Deo sic disponente, connitentibus, liturgia romana in Ecclesiis Galliarum, paucis annis decurrentibus, feliciter redintegrata fuit. Cf. Du Lac, *La liturgie romaine et les liturgies françaises*, Parisiis, Lecoffre, 1849; Jouve, canonicum Valentinensem : *Du mouvement liturgique en France durant le XIX<sup>e</sup> siècle*, Parisiis, Blériot, 1860; et Adnot. XLIII supra.

## ADNOTATIO XLV.

*Lib. III. Decretal. Tit. XLI, n. 50; pag. 182.*

## DE OFFICIO MATUTINO A CHORO ADSTRACTIS.

Sic loquitur Benedictus XIV, *Instit. CVII, § 4* : « Istud verissimum est quod sanctus Carolus Borromeus scriptum reliquit de matutini tempore : « Matutinum vesperi non dicatur, exceptis tamen » diebus octavæ festi solemnissimi Domini Nostri Jesu » Christi, cæterisque diebus, quibus ex Romanæ » Ecclesiæ instituto est permissum. » Quæ cum ita sint, Braschius, in suo *Promptuario synodali*, cap. LXXXVI, n. 48 et seq. in hunc modum tradidit : « Matutinum in cathedrali, collegiatis recep- » titiis et choralibus ecclesiis persolvi mandat » episcopus mane diei propriæ, non autem sero » præcedenti post vespas et completorium, nisi » forte quandoque justa causa concurrente judica- » verit esse dispensandum ad tempus ut secus » fiat. Cause propter quas valeat dispensare sunt » præsertim ob hyemis rigorem, item propter aeris » intemperiem, adhuc et propter inolitam consue- » tudinem vel ob aliam honestam rationem, quæ » prudentis viri judicio sufficere videatur. Verum » hac in re non nisi caute admodum procedere » oportet. » Equidem Sacra Congregatio, die 12 nov. anno 1644, facultatem tribuit matutini recitandi post completorium, id tamen auctoritati arbitrioque episcopi relinquendum judicavit, lib. XVII. *Decretor.* pag. 379 : « S. C. censuit petitam » facultatem recitandi matutinum esse oratoribus » concedendam post completorium præcedentis » diei, pro arbitrio tamen episcopi, et dummodo » lapsa sit hora tertia post meridiem. »

## ADNOTATIO XLVI.

*Lib. III. Decretal. Tit. XLI, n. 50; pag. 182.*

## DE MISSA CONVENTUALI PRO BENEFACITORIBUS.

« Neminem vestrum latere putamus SS. canonum sanctiones quibus præcipitur ut singulis diebus in ecclesiis patriarchalibus, metropolitans,

cathedralibus et collegiatis, tum horæ canonicæ debitis modo et forma recitentur, tum etiam missa conventualis celebretur; quæ adeo claræ sunt ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuæ pariter et per omnia uniformes existunt resolutiones ab hac Congr. VV. FF. nostrorum conc. Trid. interpretum repetitis vicibus emanatæ, quas omnes apostolica auctoritate nostra confirmamus et approbamus, earum executionem vobis enixe inculcantes, ut scilicet missa conventualis, quæ singulis diebus canitur a clero prædict. ecclesiarum pro earumdem benefactoribus in genere quotidie applicetur; eodem prorsus modo quo missam parochialem ab iis qui curam animarum gerunt pro populo sibi commisso, singulis saltem diebus festis de præcepto, applicari debere superiores declaravimus.

» Itaque date operam ut falsam quorundam opinionem eliminatis, quam in aliquibus ecclesiis ejusmodi, sive dolo malo, sive per errorem invecnam esse novimus quod nempe, dum missa conventualis pro certo aliquo ecclesiæ benefactore, vel grati animi ergo vel ex vi oneris impositi, celebratur et applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis missæ conventualis. Etenim hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos benefactores, sed benefactores in genere cujuslibet ecclesiæ, cujus servitio addicti sunt quicumque in eadem sive dignitates, sive canonicatus sive mansionariatus, sive beneficia choralia obtinent, et missam conventualem suis respective vicibus celebrant.

» Neque minus improbandam noveritis aliorum sententiam qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum in eorum ecclesiis pro benefactoribus in genere aliqua interdum preces fiunt vel anniversaria stans diebus sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id sibi arrogare debet ut impositæ obligationi alia ratione satisfacere possit quam ea quæ a lege ecclesiastica multoties præscripta fuit; nimirum missam conventualem singulis diebus pro benefactoribus celebrando, eandemque pro illis in genere applicando.

» Profecto non solum prioribus Ecclesiæ sæculis verum etiam temporibus haud longe a nostra ætate remotis (quod vos ex historia Ecclesiæ didicisse non dubitamus) servabatur olim in singulis ecclesiis series accurata omnium et singulorum quorum liberalitate unaquæque aucta fuerat, eorumque nomina sacris dyptichis, sic enim vocabantur, ideo consignata erant ut eorumdem recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam missæ sacrificium offerretur; quam ob causam etiam prædictus catalogus in plerisque ecclesiis ob oculos presbyteri celebrantis apponi consuevit; licet enim pii benefactores in suis donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se, bona sua Deo offerre declarassent, Ecclesiarum siquidem præsules preces pro iis imperandas esse duxerunt, quamvis illi propria bona offerentes ne verbum

quidem ea de re fecissent. Sacrorum hujusmodi dyptichorum usus sensim defecit, ob idque in oblivione jacent alicubi complurium benefactorum nomina. At non idcirco deserere fas est usum et disciplinam orandi pro iis et sacrificium pro illis offerendi. Atque inde præceptum applicandi missam conventualem pro benefactoribus in genere originem atque rationem desumit.

» Quemadmodum vero, loquendo de missa parochiali, superius dictum est varias excusationes afferri solere, ad declinandam illius applicationem pro populo diebus festis de præcepto; ita pariter usu venit, quoad applicationem quotidianam missæ conventualis pro benefactoribus in genere. Ut autem superiores illæ, sic etiam hæc posteriores, provide e medio sublata fuerunt per opportunas congregationis conc. Trid. resolutiones quas proinde in his etiam auctoritate nostra approbamus et confirmamus.

» Nonnulli siquidem obtentu contrariæ consuetudinis, etiam immemorabilis, in propria ecclesia vigentis, se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verum jam pluries responsum fuit hujusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quæ potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari.

» Alii a missa pro benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent ex eo quod alio quopiam missarum onere obstricti inveniantur, vel ratione proprii canonicatus, aut alterius beneficii ecclesiastici, quod insimul cum canonicali præbenda obtinent, vel quia, præter munus canonicum, seu beneficiatum, aut mansionarii in ecclesia cathedrali, seu collegiata, cum etiam in eadem vel in alia ecclesia parochialem curam exercent, dum missam conventualem canunt diebus festis de præcepto, debent pro populo sibi commisso eam applicare; ac proinde nequeunt eandem pro ecclesiæ benefactoribus specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est jubendo singulis prædictis ut missam conventualem quam canunt pro ecclesiæ benefactoribus in genere applicant, pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter missam applicare tenentur, alterum substituant qui ipsorum loco missam hujusmodi celebret applicetque.

» Aliorum pariter exceptio fuit quod missa conventualis non semper a canonicis aut dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a beneficiatis aut mansionariis, quos minus æquum videtur pro missæ celebratione omni eleemosyna carere, quæ unde desumi valeat ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est demandando ut ea desumatur ex massa distributionum.

» Alii denique obtulerunt exiguitatem hujusmodi distributionum, quæ, ob detractam eleemosynam quotidianam pro missa conventuali, ad nihilum fere redactæ, vix foret ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento servitii ecclesiæ præstandi. Tridentina quidem synodus sess. XXIV, cap. 15, opportunas rationes ostendit quibus canonicorum præbendarum inopiæ valeat provideri. Si

vero designatam a concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit, ad Congr. conc. Trid. recursum habere, cujus erit perspecto ex vestris relationibus rerum statu, auctoritate apostolica a prædecessoribus nostris eidem impartita, et a nobis etiam præsentium tenore confirmata, quotidianam applicationem missæ conventualis pro benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere.

» Non modo ecclesiis patriarchalibus, metropolitani, cathedralibus et collegiatis injunctum reperitur ut quotidie missa conventualis in eisdem canatur, sed etiam in rubricis generalibus, quorum exactissimam fraternitatem vestris custodiam commendamus, præscribitur ut certis diebus non una, sed binæ atque etiam aliquando tres missæ conventuales uno die celebrentur. itaque quum nuper a nobis dictum fuerit primam missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere celebrandam et applicandam esse, nunc expendendum superest an earundem ecclesiarum capitula, jurisdictioni vestræ respective subjecta, adigere debeatis ut alias quoque missas, si plures, ut præfertur, celebrari contigerit, pro benefactoribus in genere similiter applicent.

« Hujusmodi questio ab aliquibus ex vobis ecclesiastico zelo flagrantibus supradictæ congregat. VV. FF. nostrorum Conc. Trid. interpretum proposita est. Jamque ante illius propositionem comperit fuerat alias ab eadem Congr. responsum fuisse concedendam esse exemptionem ab onere applicandi secundam ac tertiam missam conventualem pro benefactoribus in genere, attenda canonicatum et beneficiorum tenuitate, ex quo inferri potest hujusmodi applicationis debitum manere ubi de ecclesiis pauperibus non ageretur.

» Verum quum hanc definiendæ questionis regulam apud prædictam Congregat. non admodum veteri observantia firmatam probe noverimus, cumque hujusce dubii solutionem eadem Congreg. nuper iudicio nostro remittendam esse censuerit; nos ita iudicamus, idque vobis tenendum indicimus: laudandos nempe et confirmandos esse quotquot sponte sua secundam aut tertiam conventualem missam pro benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum ecclesia vigentis, iis imperandum ut in ea consuetudine perseverent; ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundæ tertięque missæ conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro defunctis ecclesiæ benefactorum in genere non obliviscantur. » (Benedictus XIV, constit. *Cum semper*, 19 aug. 1744.)

Cf. Acta et decreta ea de re in recentioribus conciliis provincialibus.

## ADNOTATIO XLVII.

Lib. III. Decretal. Tit. XLI, n. 30; pag. 182.

## DE BINA MISSA.

« Hodie unicus est casus necessitatis in quo licet

iteratio missæ, quando scilicet parochus ministrat seu præest duabus ecclesiis valde dissitis, ut utriusque populo diebus festis satisfaciatur pro implemento præcepti auditionis missæ, dummodo tamen post celebrationem primæ jejunium servet, et non adsit aliquis sacerdos qui in altera ecclesia eam celebrare possit, quemadmodum Benedictus XIV prius solide probaverat *De sacrif. missæ*, lib. III, cap. IV, n. 14 et cap. V, ac postea declaravit in epist. ad episcopum Oscensem, *Declarasti nobis*, 16 mart. 1746.

» An autem in casu parochus facultatem ab episcopo obtinere debeat controvertunt doctores. Quidam enim eam expetendam affirmant, quidam negant, utpote a jure communi jam concessam. Sed, ut optime notat idem Benedictus, cit. cap. V, n. 2, hæc componi posse videtur controversia, si animadvertamus, sive sit necessaria episcopi licentia, sive non, id certe necessarium esse ut ille rem cognoscat ac perspicat num revera necessitas urgeat ut sacerdos duas ecclesias parochiales habens duas missas cogatur celebrare; nonnunquam enim accidit ut, cum non alium esse sacerdotem existimaretur qui in alterutra parochia celebraret, tamen repertus sit. » (Gibaldi, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 605.)

Quoad binam missam in eadem ecclesia, ordinarius eam celebrandi licentiam concedere nequit, ut patet ex decreto sequenti:

« AMBIANEN. Quum reverendiss. Ambianen. episcopus comperit quod in sua diocesi ex usu fere generali sacerdotes bis celebrent missam diebus dominicis ac festis, qui quidem usus ex eo præsertim invaluit quod ordinarie per agros ecclesia aliqua sit annexa ecclesiæ parochiali in qua residet parochus, ac proinde in ea iterum celebrat ut fideles ibi domicilium habentes faciliorem habeant aditum ad sacra mysteria, et inde latius extenditur usus præfatus ut, nonnullis in locis, bis celebretur etiam super idem altare, aut super altaria diversa, sed sine gravi necessitate. Ut ambiguitas omnis e medio tollatur, Sacror. Rit. Congregationem exquirat super sequentibus dubiis.

» I. Utrum liceat parochi in agris constituto iterare missam diebus dominicis et festis conservalis etiam super idem altare?

» II. An liceat parochi in urbe constituto iterare missam iisdem diebus super diversa quidem altaria, sed tantummodo ut consulatur parochianorum commoditati, v. g. ut celebretur missa hora octava, quando jam celebratur variis horis, videlicet hora sexta, septima, nona et decima?

» III. Utrum posito quod sint illicitæ duæ præfate consuetudines, teneatur iis obistere episcopus, an vero eas tolerare possit ut vitentur murmuraciones tum populi, tum cleri?

» Et eminentiss. ac reverendiss. D. cardinalis Carolus Maria Pedicini, episcop. Portuen. S. Rufinæ et Centumcellarum, S. R. E. vicecancellarius ac S. R. Congregationi præfectus, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctiss. D. N. Gregorio XVI tri-

putarum, rescribi mandavit: « Sine speciali apostolico indulto non licere, et teneri episcopum consuetudinem seu abusum omnino eliminare. » Die 22 maii 1841. »

Idcirco hujusmodi indultum episcopus Atrebatensis in Galiliis impetravit, ut sequitur: « Modernus episcopus Atrebatensis facultatem expostulat concedendi licentiam bis sacrum faciendi in eadem parochiali ecclesia, eodem die festo et per eundem sacerdotem, quoties prædicta ecclesia est numero fidelium impar propter ipsius exiguitatem, quoties parochianorum habitationes sunt longis intervallis inter se disjunctæ ita ut nequeant omnes sacros. missæ sacrificio simul assistere, et quoties tandem parochus copiam alterius sacerdotis non habet, qui secundam possit missam celebrare. Per hanc quippe facultatem quam episcopus orator expostulat multæ vitabuntur transgressiones quæ secus vitari non possent. Et Deus... — Die 17 sept. 1866. Sanctiss. D. N. audita relatione infrascripti prosecretarii S. C. conc. episcopi Atrebatensis oratoris precibus annuens, petitam facultatem attentis peculiaribus circumstantiis eidem benigne impartitus est ad septennium tantum, constituto tamen in singulis casibus quod eadem necessitatis circumstantiæ vel saltem æquipollentes adsint quas requirit san. mem. Benedictus XIV in sua const. *Declarasti nobis*, edita 16 mart. 1746, et cum conditione ne pro secunda missa eleemosyna recipiatur, ita ut, si iterans sit animarum rector, neque pro prima neque pro secunda missa eleemosynam valeat recipere. P. card. CATERINI, præfectus.

Notandum quod, ex relatione facta ab episcopo Oscensi, cui Benedictus XIV respondet in epistola prælaudata *Declarasti nobis*, facultas bis sacrum faciendi eodem die ab episcopo concedi valet non tantum pro duabus ecclesiis parochialibus quibus idem rector præfatur, sed etiam pro duabus ecclesiis quarum una tantum titulo parochiali gauderet, et altera a parochiali longe sejuncta foret intra tamen parochiæ fines.

A presenti materia haud alienum est documentum sequens: « Beatissime Pater. Episcopus Aurelianensis ad S. V. pedes provolutus humiliter exponit quod plurimi diocesis Aurelian. sacerdotes, ignorantia haud certe culpabili, bis propter necessitatem diebus dominicis et festis missam cantantes, duplicem perceperunt honorarium. Nunc vero facti certiores praxim hanc esse abusum, et unicum a bis missam cantantibus posse percipi honorarium, conscientiæ quoad præteritum consulere in Domino cupiunt. Ideo pro ipsis S. V. exorat idem episcopus ut liberis eos ab onere restitutiæ apostolica auctoritate declarare velit. Et Deus... — Die 16 jun. 1862. Sanctiss. D. N. audita relatione infrascripti prosecretarii S. C. conc. suprascriptis episcopi Aurelian. oratoris precibus annuens, eidem benigne indulsit ut condonationem juxta petita pro suo arbitrio et conscientia gratis impertiatur. P. card. CATERINI, præf. Petrus, archiep. Sard. prosecretarius. »

Tandem hoc in loco debet apponi recens decretum S. Rit. Congregationis et ejusdem instructio quoad usum duorum calicum, ibi:

« PLURIUM DIOCESEUM. Plures nuper diversarum dioceseum Reverendiss. antistites, nimirum Compostellanus et Salamantinus in Hispania, Alexiensis in Albania, et Meldensis in Gallia attendentes rigorosam executionem decreti ab hac S. Rit. Congreg. lati in *Ebusitana*, die 16 sept. 1815, de uno tantum calice adhibendo a sacerdotibus plures missas ob necessitatem populi fidelis eadem die celebraturis, gravibus admodum difficultatibus subiecti cum sacerdos alteram missam non in ipsa ecclesia, ubi primam celebravit, sed in alia longe dissita cogitur offerre; insuper vero advertentes morem duos in ejusmodi casu adhibendi calices non modo universalem esse in Hispania et Gallia, sed etiam adeo veterem ut omnem hominum memoriam facile excedat; ad hanc S. Apostolicam Sedem pro modificatione præfati decreti, certa que impetranda regula quam tuto sequi possint, confugerunt. Ut oblatarum hac de re a prædictis antistitibus precum debita ratio haberetur duo hæc concinnata sunt dubia scilicet:

» Dubium I. An retinendus sit usus qui dicitur vigere in diocesis Compostellana et Salamantina, necnon in diocesi Meldensi et in aliis Gallicis diocesis, vel sit permittendus alibi, adhibendi scilicet ob peculiare rationes duos calices, quum sacerdos duas celebrat missas eadem die in ecclesiis valde dissitis?

» Dubium II. Et quatenus ob peculiare circumstantias hujusmodi usus retinendus sit vel permittendus, quid servandum circa purificationem primi calicis ut et reverentiæ sacramento debita consulatur, et sacerdos jejunos maneat pro secunda missa, habita ratione peculiarium circumstantiarum quæ, tam in primo quam præcipue in secundo supplici libello, exponuntur?

» Jam vero cum dubia isthæc Eminentiss. et Reverendiss. D. cardinalis Gabriel della Genga Sermattei expendenda proposuerit in ordinariis S. Rit. Congreg. comitiis, anno superiori 1857, die 12 septembris ad Vaticanum habitis, EE. et RR. PP. sacris tuendis ritibus præpositi, omnibus mature perpensis, habitaque præ oculis docta et laboriosa elucubratione quam R. D. Joannes Cozza, alter ex apostolicarum ceremoniarum magistris, de suo voto antea requisitus, desuper confecerat, respondendum censuerunt:

» Ad dub. I. Usus duorum calicum in casu posse permitti.

» Ad dub. II. Ad mentem. Mens est ut conficiatur instructio. Ejusmodi autem instructio quam ad mentem et ex mandato S. Cong. idem Emin. et Rever. cardinalis della Genga-Sermattei una cum R. P. D. Andrea-Maria Frattini, sacre fidei promotore, digessit, est prout sequitur:

» Quando sacerdos eadem die duas missas dissitis in locis celebrare debet, in prima dum divinum sanguinem sumit, eum diligentissime sor-

beat. Exinde super corporali ponat calicem et palla tegat, ac junctis manibus in medio altari dicat: *Quod ore sumpsimus, etc.*, et subinde aquæ vasculo digitos lavet dicens: *Corpus tuum* etc. et abstergat. Hisce peractis calicem super corporali manentem adhuc, deducta palla, cooperiat ceu moris est sciicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla et demum velo. Post hæc missam prosequatur et, completo ultimo evangelio, rursus stet in medio altari et, detecto calice, inspiciat an aliquid divini sanguinis necne ad imum se receperit quod plerumque continget. Quamvis enim sacræ species primum sedulo sorpta sint, tamen dum sumuntur, quum particulæ quæ circum sunt undequaque sursum deferantur, nonnisi deposito calice ad imum redeunt. Si itaque divini sanguinis gutta quædam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur, et quidem ex eadem parte qua ille primum sumptus est. Quod nullimode omittendum est quia sacrificium moraliter durat, et superextantibus adhuc vini speciebus ex divino præcepto compleri debet.

» Postmodum sacerdos in ipsum calicem tantum saltem aquæ fundat quantum prius vini posuerat, eamque circumactam ex eadem parte qua sacrum sanguinem hiberat in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat ac demum cooperiat, uti alias fit, atque ab altari discedat.

» Depositis sacris vestibus et gratiarum actione completa, aqua e calice demissa, pro rerum adjunctis, vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus sacerdos redeat missam habiturus) et in secunda purificatione in calicem demittatur, vel gossipio aut stupa absorpta comburatur, vel in sacrario si sit exsiccanda relinquatur, vel demittatur in piscinam.

» Quum autem calix, quo sacerdos primum est usus, purificatus jam sit, si ille ipso pro missa altera indigeat, eum secum deferat; secus vero in altera missa diverso calice uti poterit.

» De quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo D. N. Pio PP. IX per subscriptum secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua resolutionem Sacræ Congregat. cum adnexa Instructione approbare dignata est.

» Die 11 martii 1858. — C. episcop. Alban. card. PATRIZI, S. R. C. præfectus. — H. Capalti S. R. C. secretarius. »

Cf. Adnotationem XLII supra.

#### ADNOTATIO XLVIII.

*Lib. III. Decretal. Tit. XLII, De baptismo et ejus effectu; pag. 183.*

#### DE BAPTISMO SUB CONDITIONE.

« Circa reiterationem baptismi sub conditione pro praxi notanda sunt sequentia :

» I. Non quodlibet dubium satis esse ut etiam

sub conditione reiteretur, sed necessario requiri ut sit probabile; quale certe non esset si ageretur de nato ex christianis parentibus et inter christianos fideliter conversato donec « evidentissimis argumentis contrarium probaretur » ut declaravit Innocentius III, rescribens episcopo Ferrariensi, cap. 3 *Veniens*, hoc eod. tit. juxta quam declarationem S. Congr. Concil. in simili facti specie procedendum esse mandavit vicario capitulari Ulissiponen. Orientalis, 26 april. 1732, ut lib. XXVIII epistolar. ejusdem congregationis. Sine hoc igitur probabili dubio reiterans baptismum, etiam sub conditione, juxta communiorem canonistarum sententiam, irregularitatem non evadet, quidquid theologi in contrarium senserint. Canonistarum sententiam amplectitur tueturque Benedictus XIV tam in *Instit. eccles. LXXXIV*, quam lib. V, *De syn. diœc.* cap. vi, n. 3...

» II. Præfatam conditionem adjiciendam esse, etiamsi baptismus collatus fuerit in aliqua tantum corporis parte et non in capite; ex præscripto Ritualis Romani jussu Pauli V editi, § de baptizandis parvulis.

» III. Adjiciendam esse pariter quoad infantes vulgo expositos, licet habeant collo appensam schedulam attestantem eos fuisse baptizatos; cum limitatione tamen apposita in responso Cong. Concil. ad sequens dubium sibi propositum sub die 16 decembris 1723 et 15 jan. 1724 ut in *Thesouro resolut.* ejusd. Congregat. t. II, pag. 412, et t. III, pag. 2.

— « URBIS. Quomodo se gerere debeat parochus » S. Spiritus in Saxia, in collatione baptismatis » infantibus qui ad archihospitale deferuntur, sive » iidem habeant schedulam de baptismo testantem, » sive non habeant; et etiamsi ex colore et cæteris » corporis qualitatibus deprehendantur eosdem » esse constitutos in ætate sex aut decem mensium, vel unius anni cum dimidio? — Eos esse » baptizandos sub conditione in omnibus casibus » expositis juxta instructionem, et instructio est » quod excipiatur a baptismo sub conditione casus » schedulæ quæ haberet certitudinem. »

» IV. Ad comprobendam collationem baptismi rite factam satis esse unius duntaxat testimonium, can. 112, dist. IV, *De consecrat.* dummodo, ut hic notat Glossa, iste testis non sit paganus aut Judæus...

» V. Notandum, et quidem speciatim, quoties reiterandus est baptismus, si res est de adultis, semper reiterandum esse secreto, sive adultus ligatus sit sive non matrimonio, et sine præjudicio matrimonii, si quod prius fuerit rite contractum, ut ex decretis laudatæ Congr. Concil. in *Ripana* 12 dec. 1733 in dicto *Thes. Resol.* t. VI, p. 206, et in *Tarvisina baptismi*, 4 maii 1737, t. VII, p. 230 et t. VIII, p. 59, in qua causa dubitabatur de baptismo collato cuidam mulieri, jam matrimonio copulata, de cujus parentum matrimonio, etsi catholicorum, nullum habebatur documentum, nec de ipsius nativitate, de nativitate loco ac de patris.

» VI. Notandum tamen ad tollendum dubium an quis fuerit nec ne baptizatus non sufficere conjecturam suscepti baptismi, quod orthodoxæ fidei rudimentis reperitur instructus, ut sensit dicta congregatio in cit. causa *Ripana*. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 615.)

#### ADNOTATIO XLIX.

*Lib. III. Decretal. Tit. XLIV, De custodia Eucharistiæ, chrismatis et aliorum sacramentorum; n. 1; pag. 184.*

#### DE CUSTODIA SANCTISSIMI SACRAMENTI IN ECCLESIIS PAROCHIALIBUS ET NON PAROCHIALIBUS.

« Nota I. Quod cum in decretali *Statuimus*, cap. 1. huj. tit. statuatur ut in cunctis Ecclesiis chrisma et Eucharistia conserventur, hoc est intelligendum de conservatione assidua et continua, ob rationem infra adducendam ac de parochialibus duntaxat, de quibus hic vere sermo est, cum ideo utrumque conservari debeat ut a parochio fidelibus sibi subditis administrari possit, ad quem ex dispositione saltem juris communis id spectat. Parochialis tamen Ecclesia debet esse talis in actu non habitu, cum tunc deficeret populus et consequenter cessaret necessitas conservationis. Nec ab hac asservatione, excepto periculo violationis a manu sacrilega, excusat contraria consuetudo aut Ecclesiæ paupertas. Sacra enim episcop. Congreg. non solum definivit absolute 23 jan. 1603 hoc decreto: « Sanctissimum sacramentum conservandum » esse in qualibet parochiali, » sed postea sub die 14 mart. 1614 addidit: « Quantumvis paupere. » Quod si redditus et societas non sufficiat, instituat » tur questor vel eleemosynarum collector. » Quod jam prius declaraverat Cong. conc. 22 mart. 1594, ut notat P. Cavalieri in Indice decretor. Tit. IV, n. 92. Quæ etiam declaravit quod si paupertas talis esset, ut aliter eidem provideri non posset, deberet conservari saltem in commodioribus, concurrentibus aliis ad expensas lampadis in quibus asservatur, ut in *S. Agathæ Gothorum*, ad I, ad cap. XVIII, sess. XXIV, *de Reform.* posit. cas. et in *Spoletana* 1604, lib. X *Decretor.* pag. 91.

« In Ecclesiis autem non parochialibus asservari non potest absque Sedis apostolicæ beneplacito, ex decretis ejusd. Congreg. in *Cujacen.* 12 jan. 1630, lib. *Decretor.* XIV, pag. 219, ac in *Justinopolitana* 21 maii 1634, lib. *Decret.* XV, pag. 66. Nec in Ecclesiis tertiariorum tertii ordinis S. Francisci, atque conservatoriorum puellarum, sicut nec oleum infirmorum, absque eodem beneplacito, ex altero ejusd. Congr. decreto in *Salernitana jur. parochial.* 28 aug. 1702, lib. XII, et in *Neapolitana conservatorii* 2 et 23 julii 1707, lib. *Decretor.*

LVII, ac decreto Congregat. Episcoporum 20 dec. 1626. Nec tandem in Ecclesia confraternitatum in *Ferrariensis jur. paroch.* 22 martii 1698, ad V, lib. XLVIII, in *Syracusana asservat.* SS. *Sacram.* 20 mart. 1700, lib. L, ac in decretis generalibus S. Rit. Congr. *Urbis et orbis* 12 jan. 1704 ad XXVI. Quæ quidem omnia decreta intelligenda sunt, non de asservatione temporanea et pro aliquibus tantum diebus, pro qua certum est opus esse ordinariorum licentia, puta pro publica expositione SS. Sacramenti, quæ sane fieri nequit sine illius temporanea asservatione.

» Dixi in Ecclesiis non parochialibus asservari non posse SS. Eucharistiæ sacramentum absque Sedis apostolicæ beneplacito. Verum id non ita absolute intelligendum est ut excludatur immemorabilis consuetudo, ubi viget illud asservandi etiam in dictis Ecclesiis, juxta mentem Congreg. conc. quæ sub die 27 april. 1709 expresse ita declaravit, etc.

» Nota II. A regula asservandi SS. Eucharistiæ in solis ecclesiis parochialibus et aliis, in sensu mox explicato, excipi 1. Ecclesias cathedrales, in quibus asservari potest, sed extra majus altare, propter functiones pontificales quæ fiunt versis ad illud renibus, ex decreto Congr. Episc. in *Lucensi* 10 febr. 1579 et in *Casertana* 29 nov. 1594; 2. Ecclesias monialium, non tamen intra illorum chororum, ex decreto Trid. cap. x, sess. XXV *De regularibus.* » (Giraldus, *Exposit. jur. Pontif.*, part. I, sect. 620.)

Idcirco non mirum si episcopo Atrebatensi in Galliis rescriptum fuerit his verbis: « Reverendiss. Domine uti frater. Preces quibus amplitudo tua ab hac S. Sede apostolica privilegium implorabat ut in sacellis virginum, diversis religiosis congregationibus addictarum, quæ, in ista Atrebatensi diœcesi, infirmis in nosocomiis, orphanis et juvenutis educationi et eruditioni sedulo inserviunt, asservari valeat sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, Sanctissimus D. N. Pius IX, referente substituto secretariæ Congregationis sacror. Rit. clementer excipiens, de speciali gratia annuit ut amplitudo tua ad proximum septenarium facultatem tribuere possit asservandi sanctissimum Eucharistiæ sacramentum in sacellis domorum religiosarum canonice erectarum, necnon in sacellis nosocomiorum religiosarum domibus adnexis in diœcesi Atrebatensi, dummodo in iisdem sacellis sacros. Missæ sacrificium quotidie celebretur, saltem una lampas ante sanctissimam Eucharistiæ die noctuque coluceat, tabernaculi clavis penes sacerdotem custodiatur, ac reliqua serventur quæ ab Ecclesiæ legibus præscribuntur quoad custodiam et cultum sanctissimo sacramento præstandum. Benignam hanc Sanctitatis Sæ concessionem dum amplitudini tuæ communico, eidem ut diu felix et incolumis vivat ex animo adprecor. Amplitudinis tuæ uti frater, C. episc. Port. et S. Ruf. card. PATRIZI, S. R. C. præfectus. Romæ, 13 sept. 1866. »

Cf. Adnotat. I voluminis primi.